

Cap. 23 [De monacho adolescente, qui ob levitatem et praesumptionem dolorem^c capitis incurrit]

Orante aliquando servo dei in cella sua quidam iuvenis monachus iuvenili levitate ductus ad ostiolum cellulae eiusdem aures suas appodiavit. Et cum audiret in ea divinum oraculum quasi duorum sibi invicem loquentium, experiri volens, quidnam hoc esset, plus debito ad ostium caput suum iungere praesumpsit, quia forte hoc audire non meruit, repente tremore concussus subito divina voluntate percussus fuit. Sicque terrifico ictu caput conquassatum dolens quasi telo auribus infixo etiam auditum amisit. Post revolutum unius mensis circulum, cum iuvenis ille magis ac magis illo dolore torqueretur, beati Conradi adivit praesentiam et suam recognovit humiliter culpam. Statim humilitatis amator sacram manum humiliato capiti imposuit et deo donante caput sanavit languidum et in momento pariter restituit auditum.

Cap. 24 [Beatus Conradus cuidam viduae^d filiis^e eiusdem eventura praedicat]

Vidua quaedam cognata beati Conradi secundum carnem duos filios habuit, quorum unum sacris literis applicuit erudiendum, ut eum in posterum divino servitio manciparet. Alterum vero reservavit in saeculo, ut paternorum feodorum legitimus^f fieret. Sed deputatus in clericum omnino detestabatur clericatum, de quo ut haberet postergandi occasionem, cuidam pauperculo scholari dormitanti digitum unum sectione cultelli amputavit. Unde turbata haec devota vidua beatum virum adiit ab eo consolationem et consilium in ambiguis quaesitura. Quam ut cognovit ipse supernae dispensationis in hoc casu non ignarus ad portam monasterii venisse, statim perrexit ad illam praeveniensque eam in enarrando causam itineris assumpti ait ad illam: „Scito, cognata mea, quod consolatio de tribulatione tua in proximo affutura est. In brevi“, inquit, „eveniet, quod nolles, hunc filium in clericatu processisse, quem tua providentia clericari disposuisti.“ Sciscitanti autem mulieri et interroganti, qualiter haec fieri possent, vir providus prognostica veritate ita respondit: „Sententia“, inquit, „dei decreta est et non est consilium contra consilium domini.“ Credidit autem mulier sermoni, quem dixit ei servus domini, et benedictione accepta domum cum festinatione revertitur indubitanter exspectans optatum impleri promissum. Pauco autem tempore elapso is filius, qui in successorem paternorum

c) *dahinter gestrichen* capitis *W₁*. d) *dahinter gestrichen* de *W₁*. e) *korrigiert aus filii W₁*. f) *Danach ist zu ergänzen* haeres oder successor.